



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Invictissimo Et Avgvstissimo Cæsari Ferdinando III. Romanorvm Imperatori Germaniae, Hvngariae, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

INVICTISSIMO ET AVGVSTISSIMO  
CÆSARI  
FERDINANDO III.  
ROMANORVM IM-  
PERATORI  
GERMANIAE, HVNGARIAE,  
BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ,  
SCLAVONIÆ REGI, &c.  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,  
DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,  
CARNIOLÆ, WIRTEMBERGÆ, &c.  
MARCHIONI MORAVIÆ, LVSATIÆ,  
COMITI HABSPURGI, TYROLIS, ET  
GORITIÆ, &c.

I quod est argumentum verè regium,  
*FERDINANDE CAESAR AVGVSTE;*  
illud est Diuina Prouidentia: quâ *Deus*  
omnia gubernans, præsentia moderatur,  
euoluit futura. Hæc est ille Mundi oculus, qui nullo  
glaucomate laborat; qui nunquam sese patitur so-  
piri. Hæc est illa manus, quæ omnia molitur, impel-  
lit, perficit. Summa, infima, quidquid habent, Pro-  
videntiæ debent exesse. Ista humiles pressit Codri ca-  
sas; eduxit alta regum palatia. Ista plebeias tegit pe-  
tasos ceruices; diademate condecorat regales. Ista mi-

## OMNISITVS EPYSTOLA

litem romphæâ, satellites sarissâ, colonos munit ligonibus: Regum dexteras implet sceptris, nitidat Gratijs, Cornûq; copiæ circumvallat. Quando ludos Diuina Sapientia dare decrevit in orbe terrarū; ibi tum Prouidentia scenā parat, struit orchestrā, tendit siparium. Roscioseuocat ordine, non fato, non dignitate singulos. Hic hæret mendicus principi; trudit olitor consularem; lixa præuertit imperatorem. Tempus nascendi, ac rursus denascendi, modum imperat vnicuique; non litui, non fasces, non opes. Splendet purpura, dum Phœbus lucet: sub vitæ occasum, catastrophe fabulæ luditur. Et optimus est chorago, non qui summas personas gessit; sed qui suam egit ex v̄su. Sæpe tunc lacernis cedit, quod perdiderunt trabeæ; quod laticlauia neglexerunt. Laus & plausus manet postremū, si bene; summos sibilus & catastæ, qui noxiè vitam egerunt. Ad diuerbia quoq; deflectitur nonnunquā: & videbis ab aratro vocatos ad imperia; ex aulis alios detrudi ad caulas. Vbi nemo Diuinæ Prouidentiæ dīē dicat, quasi non justè, non sapienter hæc talia factitaret: summâ ratione, consilijs perquisitissimis omnia siue ruunt, siue surgunt. Nos homunciones, quibus concessum non est inspicere diphterā louis, nos putamus alios casu prolabi, non nullos fortuitò tolli:

Fortunæ

D E D I C A T O R I A.

Fortunæ perinde, vt Pilæ ludum, hos in terrâ afflige-  
re; illos humo erigere: sursum, deorsum, in omne la-  
tus impelli, vt casus tulerit, aut voluptas. Secus autē  
res se habent; nulla his Iudicijs Fortuna intercedit,  
nullus prouoluit casus, nullum fatum interturbat:  
omnia suis librata momentis æquæ apponuntur  
lanci; non temere deprimendæ, non fortuitò suble-  
uandæ: Trutina quibusdā leuior, alijs mitior ob-  
tigit, omnibus tamen justissima: quam si quis mor-  
talium vnquam temperare didicit, ij fuerunt Archi-  
duces *AUSTRIACI*, quos Pietas genuit, Clementia  
fouit, Iustitia tot regnis præfecit.

*Quà mare, quà terra, quà sidus currit utrumque,*  
Austriacos Principes, vel Reges, aut Imperatores ado-  
rat. Germaniæ pars melior, potior Italiæ, vniuersæ  
Hispaniæ, vtraq; India, summâ Dei largitoris beni-  
gnitate his accesserunt. Tot Prouincijs Rudolphum  
gloriosissimæ Gentis Austriacorū conditoris in po-  
steris suis imposuit *DEVS*, qui *SE* sub paruo panis  
orbiculo latitantē imposuit quondam equo. Quid  
Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ regna po-  
tentissima? quid Neapolitanum & Siciliæ memorē?  
quid vrbibus opulentissimi consitū Belgium? quid  
ea, quæ situ remotiora, quæque vix nominibus suis  
pleræq; hominū parti nota sunt, referā? istud quām

E P I S T O L A

inauditæ felicitatis argumentum est, tertium decimum ex hac gente fortunatissima nunc Imperatorem numerari! Hic, hic admirari libeat diuinæ Providentiæ mitissimas Etesias. Non temere tot exierunt vrnâ Cæsares: nihil hic sibi vendicent Parcę, ah! nimium quantum parcę, seu vitę, seu honorum duxerint fila: tam auspicatum ac diuturnum Imperium, nisi diuinâ protraheretur manu, dudum hæc omnia decora fuissent, non essent amplius. Iam, si memoriâ repetantur æmulationes, bella, pericula, quibus euersa, ac pessum data domus inclyta *AUSTRIACORVM* procumberet, si hostium vim non elusisset Deicōsilium; quid primū admirabimur? depulsas diuinitus malorum tempestates; an in procuratissimis ruinis, Augustæ gentis inopinabile incremētum? quod perpetuum, faustissimumq; porrò precantur omnes boni, neq; augurātare ex vano prudentes. Quid enim portendere potest sinistri, illa *CAESAREAE VESTRAE MAIESTATIS* Libra, cuius lances sacratae sunt *Iustitia*; momentum omnē agitur *Pietate*? vt Inscriptio loquitur, *Picturāq;* symboli demonstrat. Christus ibi è Cruce pendens, *FERDINANDI* Oculos ad se, atque animum rapit: quò sit, vt nihil desperandum sit à tam pio *CAESARE*, nihil non apprecandum à nobis tam justo.

## DEDICATORIA.

justo IMPERATORI. Hisce modis parata, ac re-  
parata regna Austriacorum, ut apud eosdem peren-  
nent, precatur modò è cælo Georgius Stengelius,  
Societatis nostræ Theologus, MAIESTATI VESTRAE  
quondam ab ore & calamo notus, ante trimestre  
hinc euocatus ad supremi tribunal Prætoris. Qua-  
tuor ille Tomos *De Iudicij Diuinis*, quæ in hoc  
mundo exercet Deus, à se conscriptos, & absolutos  
typisantè, quām de vita decegit, dum MAIESTATI  
VESTRAE molitur inscribere, dum tempus au-  
cupatu opportunum, tempus vitez elabitur auctori;  
abit adjudicium, quod singulis datur semel. Quod  
igitur mors ipsi interceptit officiū, illud nos vt occu-  
pemus, par est; qui voluntatis vltimæ tam obse-  
quiosæ vt simus executores, multa nos mouent, &  
impellunt, tum VESTRAE MAIESTATIS, tum  
gloriosissimi D. Parentis collata in hoc Collegium  
beneficia: quorum gratam memoriam nulla patie-  
tur ætas nobis excidere. DEVS Augustissimam hanc  
Familiam nobis, Imperio, Ecclesiæ suæ diutissimè  
conseruet. Ingolstadij XXXI. Iulij, ipsâ S. P. N.  
Ignatij anniversariâ panegyri, M. DC. LI.

SACRÆ CÆSAR: MAIEST: VESTRÆ

Deuotissimum Societatis IESV Collegium  
Ingolstadiense,